

imperatum; si nullum est opus bonum, finē amore Dei? Prop. 57. *Totum deest Peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei; nempe benevolus, qui propriè charitas appellatur, ut haber Propositionis 58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.* Si nihil in Peccatore sit absque spe, neque hæc esse possit finē charitate; frustranea finē ea erit omnis gratia; &, ut parum, vel nihil utilis omnis actus est, qui neque ad religionem ulla ratione pertinet, neque ad Deum, ad quid boni posset gratia finē charitate conducere?

9 Sensus itaque Authoris est, quòd *omnis cognitionis Dei non possit venire, nisi à Deo, quodque finē charitatis gratia* (qua vel charitas ipsa elicetur, vel actus ab ea imperatus) *non producat, nisi presumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum.* Alia enim gratia, juxta Quesnellum neque datur, neque dari potest; cùm omnis alias actus huic Theologo *malus* sit; ad malum autem dari gratiam non posse, in omnium sententia manifestum est, neque ab ullo rationis compote vocari potest in dubium: alias Deus naturā perfectissimus statueretur author peccati.

Si autem *omnis cognitionis Dei finē gratia charitatis*, & quidem re ipsa charitatem efficiente, vel actum à charitate imperatum (Nam gratia sufficiens præter efficacem, juxta Quesnellum in hoc statu nulla est) si, inquam, *omnis cognitionis Dei, finē tali gratia non producat, nisi presumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*, evidens est, *omnem Dei cognitionem* in infidelibus, charitatis, & conversionis efficacem gratiam non habentibus, aliud non produce-re, quām *presumptionem &c.* Cū verò, etiam fatente Quesnello, *Omnis ea cognitionis non possit venire, nisi à Deo*; quomodo Deum hic Theologus vindicabit à crimen, cuius ipsum statuit in hominibus authorem; infundentem scilicet sui cognitionem finē gratia, atque adeò principium peccati efficax, & necessarium?

Porrò si cognitio Deibona, & quæ non nisi à Deo est, effectum pariat tam perversum in Philosophis Ethnicis, qualem producent in ipsis cognitiones cæteræ, & longè inferiores? Non poterit sic evitari Propositionis Baji 25. *Omnia opera in infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, quam proscripti pridem tres Summi Pontifices. Neque declinabit Quesnellus censorum recentiū ab Alexandro VIII. latam adversus octavum hunc articulum inter 31.: *Necessitatem est infidelem in omni opere peccare.*

Sed quænam vel in ipsis fidelibus cognitionis, vel cogitatio peccatum non pariet finē memorata gratia charitatis? Ipsa fides, quantumvis sancta Dei cognitionis, si ad spem excitet finē tali gratia, non efficiet *nisi presumptionem, vanitatem, oppositionem ad ipsum Deum.*

Quis denique virtutis actus, solam si excepereis charitatem, à vitio liberabitur? Omnis enim virtutis actus à cognitione oritur, & quidem, si actus religionis, aut virtutis theologicæ sit, profuit à cognitione Dei; si autem omnis cognitionis Dei finē illa gratia nihil suggerat, nihil instillet, nisi peccatum, quid melioris fructus proferent cognitiones creaturarum? Plura sunt consecaria virulenta, quæ ex praesenti articulo, si non solum in sensu obvio, sed & authoris accipiatur, manifestè profluunt. Sed eorum iniquitatem minimè aversantur novi Ecclesiæ, & fidei Catholicæ reformatores.

Supersedeo hic cumulandis argumentis theologicis, quæ pro operibus intrà naturæ ordinem bonis doctissimè traduntur à Scholasticis, apud quos passim obvia conspici possunt; nominatim apud Cardinalem de Aguirre Theologiæ S. Anselmi totâ disputatione 118., ubi sectionis primæ titulus est: *Pose naturam hominis lapsam simpliciter, & expedite agere unum vel aliud bonum opus ex facilioribus in genere moris, & sterile ad salutem, cum Divino adjutorio quidem; verum absque speciali auxilio, sive gratia per Christum. Probationes ex Conciliis, ac Patribus. Sectionis 2. titulus: Eadem doctrina luculenter demonstratur ex apertissimis testimoniis S. Augustini, cuius autoritate potissimum abutuntur Adversarii.* Verum instituto meo sufficit Constitutionis defensio, & damnatarum impugnatio Propositionum, intactis Catholicorum inter se dissidentium opinionibus.

C A P U T II.

Convevuntur adversantium argumenta desumpta ex Scripturis Sacris.

I D E cognitione Dei, quæ fuit in Philosophis Ethnicis ita testatur Apostolus Epist. ad Romanos cap. 1. vers. 19., & sequentibus: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Inuisibilia enim ipius à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicuntur. Sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas; ita ut sint inexcusabiles;* quia